



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Vrsmarvs C. 18. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

tium auxit. His facinoribus HELENVS Heliopoli-  
tanam primùm mitram, deinde aternitatis coro-  
nam meruit. *Ex vitis PP.*

*Si vis animam tuam in sua virginitatis integri-  
tate persistere, aures & oculos à negotiorum secula-  
rium vanitate firmiter obstrue, carnalium hominũ  
colloquia destructioni magis quàm a edificationi pro-  
futura contemne; nam qui tangit piccam, inquinabi-  
tur ab eà. S. Pet. Dam. Op. XII.*

S. VRSMARVS C. 18. Aprilis.

**Q**uo tempore mater gravem VRSMARO fere-  
bat uterum, venerandã fortè canitie senex  
per visum afficit, puerulumque, manu gestatum  
ejus curæ commendavit. Excusanti antionæ diffi-  
cultatem panem candidum porrexit, novo mox  
inter manus auctu grandescentem; prodigijsque  
rationem ad nascituræ prolis doctrinam retulit,  
cum annis ad multorum mortalium emolumenta  
amplificandam. Simul monstravit enitentem in  
sublime filiolum per scalam cælo insertam. Præsa-  
gio fidem adstruxit vita cælitibus quàm homini-  
bus propior: nam Episcopus tempore succedente  
creatus, novem annis à pane humano temperavit,  
reliqui cibi tam modicus, ut validas membrorum  
viresque vires haud immeritò miraculi instar  
obtinerent. Dæmones frequenter injusta cor-  
porum humanorum possessione dejecit: metu-  
lemurum insectas ædes aquâ lustrali solvit: mor-  
bos curationum fines egressos divinâ sanatione  
depulit. Porro charitas servandorumque morta-  
lium studium in eminentissimum virtutis fasti-  
gium assurrexit, cum esset quotidie cujusvis ho-  
minis salutem sanguine vitæque recuperare pa-  
ratus.



ratus. Rerum aduersarum patientia in Iobi comparatione evixit. Obiit anno Christi D. CC. XIII. de cælo obtinendo sollicitus imprimis, ut qui iam scelas admoverat, antequam nasceretur. Ex *Rather. Veronense.*

*Multi simplices & humiles calos penetrant. Nihilus verò arrogans, quamvis omnium liberalium polleat scientiâ, ad caeleste admittetur convivium, tantoq; gravioribus cruciabitur pœnis, quanto nequius donum Dei tractaverit. S. Laur. de Casto Connub. c. 14.*

S. THEODORVS M. 19. Aprilis.

**T**HEODORVS cum sacramentum, quod CHRISTO dederat, Marti negasset, post fustuarium craticulæ injectus, picæ ac sulphure perfunditur. Sed cum crudelitate hac tellus commota è sinu aquas, quæ rogû exstinguerent, effudisset: THEODORVS incolumis ad Marti devotos provocavit: iret ex omnibus unus aliquis in rogum, Deumq; suum etiam ipse probaret. Illi causæ diffisi rem ad sacrificulos rejecerunt. Ex his etiam DIOSCORVS adductus, palam Iovis patrocinium respuit, suscitque ipse è flammis causam Iupiter dicere juberetur; se diem ei dicturum, se ex fano obrorto collo ad iudices ignes rapturum, cæloque pulcherrimo, quod unquam fecisset, sacrificio ipsum Iovem immolaturum: probaret ille fulmine se Deum, pictosque suos ignes, & unâ hos in caput sacrificantis, si posset, congereret. In doluit Iovem, ludos fieri Proconsul, & DIOSCORVM jam Christianum flammis, THEODORVM verò quadrigis raptandum dedit. Hic verò abeuntibus in præcipitium equis, alio è cælo curru triumphans in Prætorium venit. In succensam exinde